

Episcoporum jurisdictionem aspiciunt, gratum nobis fecerint, si antiquiora, aut his similia à Carolo M. sæcularibus Principibus donata privilegia in medium attulerint. Haud interim dubium, quin reliquis Saxoniae Episcopis, primæ donationum tabulæ, pari forma & liberalitate, iisdemque privilegijs à Carolo M. datæ, & consignatæ fuerint, quas aut temporum injuria subtraxit, aut vetustas abolevit, nisi inter tabularia adhuc pressæ teneantur. Nobis monumenta concludere non ante visum fuit, quàm & hoc Carolinæ liberalitatis monumentum cæteris haud ignobilius accederet, & ad posteritatis memoriam consecraretur.

Privilegium Caroli M. Imp. Osnabrugensi Ecclesie datum XIII. Kal. Jan. An. III. Imperij,

qui est annus Christi 803.

**I**N nomine Patris & Filij & Spiritus sancti Carolus serenissimus augustus a Deo coronatus magnus pacificus imperator romanum gubernans imperium qui & per misericordiam Dei rex francorum & langobardorum. Quicquid enim locis sanctorum venerabilium ob amorem domini nostri Ihesu Christi & reverentiam sanctorum cedimus vel condonamus hoc ad mercedis augmentum vel stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus præsentibus scilicet & futuris qualiter donamus ad basilicam sancti Petri principis Apostolorum & sanctorum martirum Crispini & Crispiniani quam nos construximus in loco Osnabrugki & corpora illorum illuc transtulimus ubi præest vir venerabilis Wiho episcopus omne regale vel seculare iudicium super suos servos & liddones & liberos malman & mundman & omnes utriusque sexus homines eidem æcclesie pertinentes quos modo possidet vel deinceps adquisierit & perpetuam de regia potestate confirmamus absolutionem ita ut nullus iudex publicus dux comes vel vicecomes vel scultetus sive missi dominici per tempora discurrentes loca illius episcopatus ad placita habenda vel freda exigenda & parafreda aut aliquem de præscriptis eidem æcclesie pertinentem ad sua placita bannire vel ad mortem usquam terrarum dijudicare vel aliquo modo ullo unquam tempore aggravare audeant. Sed liceat præfato episcopo suisque successoribus & suo advocatores prædictæ æcclesie cum omnibus sibi pertinentibus quieto ordine possidere ordinare atque disponere. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur

beatue